134 5
344 c. 8.

VERA ET PERANTIQVA NOVITATVM ET NOVATORVM CENSVRA

A

Vero venerandæ Antiquitatis Amatore

EX

Sacra Scriptura, ſacroſanctis Conciliis, Sanctiſq; Patribus Collecta.

State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis quæ ſit via bona & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.
Ierem. cap. 6.

Semper retenta eſt antiquitas .... exploſa novitas.
Vinc. Lyr. de Antiq. Fid. cap. 9.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis IOAN WILHELMI FRIESSEMI, & Sociorum. Anno 1677.

34-4 C.8

AMICE LECTOR,

Quandoquidem noviſſimus hiſce temporibus tanta in omni genere novitatum congeries indies exſurgat, ut pleriſq; eiſq; doctiſſimis non niſi quod novum eſt aut diſcere aut docere libeat non ſine magna ſanè & corporum & animarum ſtrage, hanc Novatorum inſulſam inſaniam, vel potius impudentiam diutius ferre non potui, memor illius ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt Patres tui. *Quod ſapientis monitum cum vel adeo ex omni parte poſſumdatum viderem, & tam impudenter à Novatoribus cujuſq; generis concultatum, huic eorum impudentiæ ac temeritati obicem laturus hanc Novitatum & Novatorum Cenſuram ex SacraScriptura, Sacro-ſanctis Conciliis, Sanctiſq; Patribus Collegi. An vero refrenandæ eorum audaciæ ſufficere non oporteret, judex eſto.*

Prov. 22.

VE-

140

****

VERA ET PERANTIQVA NOVITATVM ET NOVATORVM CENSVRA

EX

Sacra Scriptura, ſacroſanctis Conciliis, Sanctiſq; Patribus Collecta.

LVctuoſum ſanè quod hoc luctuoſo tempore quo orbis Chriſtianus fucato & verſipelli ſerpentis eſtu miſerabiliter dividitur & divellitur, quod hoc inquam tempore conſcientiarum pax non ſtabilietur, ſed ècontra quibuſdam Novatorum inſulſis novitatibus perturbetur. An non ſatis eſt ſoluta legum vinculis audacia per ferrum & ignem ad ſcelera graſſante paſſim ſacra profanis immiſceri, nocentes & innoxios promiſcua vi fatorum involvi & fieri de claris urbibus buſta non niſi miſerorum ſanguine exſtinguenda. Num adhuc con-

ſcientiis bellum indicendum erat, & profana novitatum furia quaſi bellona quadam animis inſultandum. Non ſatis eſt corporum ſtrages niſi etiam eadem animarum ſubſequatur quæ tantò ſane immanior & truculentior quantò anima preſtat corpori ? & tamen ad hanc animarum ſtragem Claſſicum paſſim intonant Novatores dum novitates ſuas plenis buccis inſciæ plebi venditant quorum impudentia ut condigna Cenſura cenſuretur lubet hic quid ſint Novitates & Novatores paucis inquirere. Novitates mihi ad vivum adumbrare volenti primos Colores & quaſi obumbratiles ſubminiſtrat mellifluus *Bern. Epiſt. 174.* Bernardus dum ait. *Novitas eſt mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis.* Infauſta cognatio novitatis ex mala parente gignitur pejorem filiam gignit & peſſimam ſororem *Cic. 1. de Nat. Deorum.* habet. *Nihil enim eſt temeritate turpius*, inquit Cicero, *nec quidquam tam indignum ſapientis gravitate, & conſtantia, quam aut falſum ſentire aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum ſine ulla dubitatione defendere.* Et *Cic. 4. Acad.* iterum, *Nihil eſt à gravitate ſapientis, errore, levitate, & temeritate diſiunctius.* Rationem addit Cato Major. *Quid eſt ſtultius*, inquit ille, *quam incerta pro certis habere ac falſa pro veris.* Et tamen hujus monſtri mater eſt novitas teſte Bernardo. Incerta novitate rei pro certis antiquitatis ipſa ſubminiſtrat. Falſa noviter inventa, pro veris veneranda antiquitate ſtabilitis, depromit. Quid magis temerarium ? novitatis Doctrina nonniſi vanitas & inanitas, ut bene notant Theophilactus & Æcu-

Æcumenius ſuper illud Timothæi ſexto, *devitans vocum novitates,* pro quo è Greco eliciunt, *vanitates & inanitates* quid levius ? & hæc eſt filia novitatis quam levitas vocat Bernardus. Quod ſoror ſit ſuperſtitionis novitas, hoc inde collige, quod quemadmodum ſuperſtitio primæ veritati injuriam irrogat, & religionem fundat in mendaciis ſic novitas in pleriſque ſuis injuria Deo, omnia fere ſua fundat in falſis aut propter novitatem falſitati obnoxiis, faciendo nempe & docendo quæ ſunt contra vel præter antiquam Eccleſiæ conſuetudinem ac præſcriptum. Verbo dicam ex novitate omnium vitiorum colluvies omnium ſcientiarum ruina, morum pernicies reipublicæ peſtis, rerumque omnium inverſio. Quam novitatem in quantum abhorreret ipſa veritas, oſtendit cum homo factus novam laturus legem ab antiqua ſe non diſcrepare ſignificavit, dicens, *Non veni ſolvere ſed adimplere.* Vbi rectè Iſidorus Clarius. *Vide*, inquit, *quam ſit metuenda ſuſpicio novitatum : Daturus celſiores leges quæ novæ viderentur*, docet *eas non adverſari legi eorum.* Hinc optimè Clemens Alexandrinus *novum inquit Teſtamentum veteri littera impreſſum erat.* Et alio loco, *ſapientia iſta*, loquitur de Doctrina Chriſti, *nupera non eſt : Doctrina eſt Salvatoris : ille autem virtus Dei*, *& Dei ſapientia ab æterno genita.* Vnde & ipſe Chriſtus dicit Doctrinam ſuam non eſſe ſuam, & ad Patrem illam tranſmittit tamquam ad veram ſed antiquam imo æternam originem cui ſubſcribit Tertullianus dum ait : *O Chriſtum in novis ve-*

Matth. 5.

Clemens Alexan. lib. 11. *Stromat.*

Tertull. lib. 4. *in Marc, cap.* 21.

terem, quaſi-vero inde Chriſto laus magna foret quod inſtituendo novam legem veteris antiquitatem obſervaſſet. Magiſtrum ſuum ſecutus Diſcipulus ille, quem præ cæteris
1. Ioan. 2. deligebat Iesus, *Chariſſimi*, inquit, *non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus quod habuiſtis ab initio, mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis.* Vel adeo enim vero fuit ſemper omnibus novitas odioſa, & antiquitas commendata. Divus Chryſoſtomus ſuper
Chriſoſt. Hom. 1. in Ioan. illud Ioannis primo cap. *In principio erat verbum. Conſidera*, inquit, *in Evangeliſta prudentiam ſpiritualem, noverat homines id quod antiquius eſt quod eſt, ante omnia maxime honorantes, propter hoc primum dicit principium: ac ſi dicat ante omnia proponit antiquitatem verbi ad conciliandam ei debitam reverentiam, nam quæ antiqua ſunt maxime venerantur.* Dum Deipara à Cœleſti Paranympho ſalutatur, *turbata eſt*, inquit Textus, *in Sermone ejus.* Sed cur quæſo turbatur? Audi Ambroſium: ſalutationis novam formam virgo mirabatur, in-
Ambroſ. quit ille, *nuſquam enim erat lecta vel audita.*
Auguſt. Auguſtinus vero ait. *Terretur Virgo de novitate verborum, ſemper prudens nova & inſolita timet:*
Bern. Nam juxta Bernardum Serm. ſuper miſſus, *omne novum ſuſpectas reddit inſidias.* Cum interroganti Domino quem dicerent homines eſſe filium hominis, reſpondentes ei Apoſtoli referunt turbarum ſententias, & ſolum commemorant quod homines arbitrentur Chriſtum eſſe aliquem ex Prophetis! ſed cur non potius eum dicunt aliquem Prophetam de novo miſſum? *Id factum*, inquit, *Silveira quia Domi-*

142

minus IESUS *in ſuis actionibus ſe veterum moribus conformabat, ut cum homines eum Prophetam autumarent, non novum aliquem Prophetam, ſed veterem ſuſpicarentur. Maxime enim alienum eſt à vero Deo quidquid novitatem ſapit ac refert.* Vincentius Lyrinenſis ait : *Semper retenta eſt antiquitas . . . exploſa novitas.* Et merito, maximè in ſcientiis, quia optimum commendandæ Doctrinæ argumentum eſt Antiquitas. Non enim recens nata, *ſed in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* In Solonem Athenis florentem exclamabat olim ſenex quidam Ægyptius ut refert Clemens Alexandrinus. *O Solon! Solon! vos ſenes ſemper eſtis pueri : nulla apud vos cana diſciplina nullam pœnitus in animis Antiquam habentes opinionem, ex Græcis autem nullus eſt ſenex :* Quaſi nihil indignius Philoſopho judicaret quam ut contempta antiquitate, novitati ſtuderet. Auguſtinus contra Julianum, & ſimul contra Novatores omnes certiſſimos veritatis Antagoniſtas. *Mira,* inquit, *ſunt quæ dicitis nova ſunt, quæ dicitis falſa ſunt ; quæ dicitis. Mira ſtupemus, nova cavemus, falſa convincimus.* Non ſecus ac ſi nova Doctrina non ſolum ſtuporem ingerat ſed errorem niſi cautè amputetur & reſcindatur. Quod magis eſt opuſculo de utilitate credendi Novatorem propria definitione definit Hæreticum illum dicit : *Qui alicujus temporalis commodi & maxime gloriæ principatuſq; ſui gratia, novas opiniones vel gignit vel ſequitur.* Divus Irinæus dum in hæreticos invehitur, ſic ait, *qui recentiores agnoſcuntur, affectant per ſingulos dies no-*

Sylv. ad Annum præd. Chriſti 3. lib. 6. q. 5.

Vincent. Lyr. lib. de Antiq. Fid. cap. 5.

Iob 12.

Clemens Alex. lib. 1. Strem.

Iren. lib. 1. cap. 18.

novum aliquid adinvenire , & fructificare quod nunquam quiſquam excogitavit. Hiſce non obſcure inſinuando novitatem hæreſim eſſe vel ſaltem genetricem , & altricem hæreſum. In Concilio Epheſino Neſtorius teſte Vincentio Lyrinenſi tamquam Catholicæ vetuſtati contrarius Beatus vero Cyrillus ſacroſanctæ antiquitati conſentanæus judicatus eſt. Præterea cum idem Auctor intentum Patrum in Concilio Epheſino congregatorum narrat , *illos ideo congregatos dicit ut rite atque ſolemniter ex eorum conſenſu atque decreto antiqui dogmatis Religio confirmaretur , & prophanæ novitatis blaſphemia condemnaretur.* Sanctus Cyrillus ejuſdem ſacroſancti Conſilii præſes lecta Sancti Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis Epiſtola , qui nihil aliud intendebat & precabatur , ut inquit Lyrinenſis , *niſi ut expugnata novitate antiquitas defenderetur.* Ita prolocutus eſt & diffinivit. *Hæc quæ lecta eſt Epiſtola venerandi & multum Religioſi Epiſcopi Carthaginenſis Capreoli fidei geſtorum inſeretur.* Rationem addit *vult enim antiqua fidei dogmata confirmari novitia vero & ſuperflue adinventa & impie promulgata reprobari atque damnari.* Adeo ut paſſim apud Divum Cyrillum , Capreolum , alioſque Conſilii Epheſini Patres , hæreſis novitas vocetur , & vera fides antiquitatis nomine condecoretur. Heu miſeranda conditio novitatum : mirari ſatis nequeo tantam quorundam hominum veſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem , ut non videant quam indignum & odioſum ſit ſemperque fuerit omnibus maximè Chriſtianis an-

antiquitati virtutum altrici renunciare, & novitati bonorum morum corruptrici ſtudere. At inquies ſi hoc de novitatibus quid modo de novatoribus. Novatores ſeu novitatum affectatores paſſim tam male audiunt apud omnes quam ipſæ novitates. Apoſtolus vocat eos, *ſeipſos amantes cupidos, elatos, ſuperbos, blaſphemos, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, &c.* Gregatius Naziancenus dicit illos Sixtos & Pyrrhones. Damaſcenus noctuas & veſpertiliones. Ego illos ſathanæ ſeu dæmonis nomine condecorabo. Chriſtus vocat Petrum Sathanam quia Paſſionem ſuam differre velle videretur; *Abi inquit poſt me Sathanas*, ſed ſi Petrus columna Fidei, Princeps Apoſtolorum, Sathanas vocetur, cur non Novatores Sathanæ nomine vocentur qui non Paſſionem Chriſti, ſed meritum illius & prætium redemptionis non ſolùm differre ſuis volunt ſed auferre. Sathanæ ſive dæmonis nomen ſi ullum cum illorum natura conveniat, hoc eſt: nam ſi idipſum nomen genericum per ſpecifica nomina in ſacra Scriptura & ſanctis Patribus paſſim obvia ſubdividere velim luce clarius apparebit nullum novatoribus nomen magis aptum & conveniens, cum & ipſi ex illorum proprietatibus multum participent ſi enim nomen *Belial*, quod interprætatur *abſque Iugo, vel abſque Domino*, nonne hoc novatoribus proprium? hi ſpreto totius antiquitatis magiſterio novas condunt leges ex ſenſu proprio, & nimium ſuæ rationi & judicio fidentes præferunt nimia ſuperbia in Catholicis non

2. Tim. 3. Greg. Nazian. Orat. 21. 1. Anſelm. in Prof. lib. de Inpar.

toleranda ſuum proprium judicium antiquorum Patrum judicio illoſque contemnunt Scholaſticam Theologiam à Divo Bonaventura ſcientiarum omnium principem & reginam nuncupatam aſpernantur, Auctores omnes tam Scholaſticos quam Caſuiſtas flocci pendent. Illos ſe mutuò ut grues ſequi non diſcuſsâ veritate, hos omnium errorum ſcaturigines eſſe propalant. Vtrorumque dogmata verſatilia, veritatis larvas, Chriſtianæ vitæ fucos, exorbitantium ingeniorum ineptias, laxitatis intemperias, commenta, figmenta, pigmenta, ſomnia, deliria, inſanias nuncupant. Theologiam moralem, moralem diabolicam vocant animarum ruinam & omnium errorum induꝺtricem. Sic paſſim in omnes Theologos impudenter debachantur, præterquàm in illos qui cum ipſis in falſa & novitia eorum dogmata conſpirant: illos mirifice extollunt illiſque authoritatem conſiliare conantur, ut ab eorum authoritate ſuæ ſtabiliantur Doctrinæ: ad hoc pœnitentibus ſuis pro Sacramentali pœnitentia imponunt ſuorum conciones audire, libros legere, &c. Nunquid hoc eſt eſſe abſque Iugo vel abſque Domino. Docere Magiſtros inquit Hugo Victorinus, *Arguere ſeniores imperare majoribus ſuperbi ſpiritus eſt, & de ſemetipſo præſumentis*: Ita ut qua nota olim Divus Hieronymus Mundanum Philoſophum notavit eâdem mihi liceat notare novatorem, videlicet eum eſſe *gloriæ animal & popularis auræ atque rumorum venale mancipium.* Vident & ſciunt novatores exoticas ſententiarum ſuarum nebulas omnibus paſſim odioſas &c com-

Hugo Victor. lib. 3. Miſcel. cap. 2.

Hier. Epiſt. 16. cap. 4.

communi Doctorum ſcriptis repugnantes, & tamen eorum ſinguli inſanum illud Petri Abayllardi verbum in ore habent, *Omnes quidem ſic ſed non ego ſic.* Nonne hoc eſt eſſe abſque Iugo, vel abſque Domino? Si nomen *Beelſebuth* conſiderem, quod interpretatum eſt *Princeps Muſcarum.* Quid quæſo ſunt Novatores niſi Principes Muſcarum, id eſt anteſignani & Duces eorum, qui velut muſcæ omni vento Doctrinæ & recens naſcentium opinionum aguntur. *Quantis illi,* inquit Vincentius Lyrinenſis de Novatoribus loquitur, *curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur. Nunc etenim quà ventus impulerit incitato errore rapiuntur. Nunc in ſemetipſos reverſi tamquam contrarii fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione quæ incerta videntur approbant: nunc irrationali mœtu etiam quæ certa ſunt expaveſcunt; incerti quà eant, quà redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant, ſemper diſcentes,* ut ait Apoſtolus, *& nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Si nomen Leviathan ab Iſaia Prophæta explicatum intuear illum vocat, *Serpentem vectem, Serpentem tortuoſum,* nunquid Novatores noſtri veri Serpentes tortuoſi? Serpentes ſunt quia ut hi non gradiuntur in viis tritis, ita illi procedunt, *Impingentes,* ut inquit Hieremias, *in viis ſuis in ſemitis ſæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito.* Nunquid tortuoſi, cum in explanatione Divinæ legis novellas ſuas adinventiones, veterum Magiſtrorum lucubrationibus præferentes, illas ſub ſpecie ſanioris conſilii indoctæ plebi

Vinc. Lyren. cont. Hæreſ.

2. Tim. 3.

Iſaïas 27.

Hieremias 18.

venditant. Nunquid tortuoſi cum ab univerſorum ſenſibus recedentes quæ conſilii ſunt pro præceptis aſſumunt, conſilia cum præceptis pro ſuo quiqúe arbitratu confundentes. Doctrinam ſuam Doctrinam Sanctorum Patrum eſſe inclamant, ut ſub venerandæ Antiquitatis ſpecie exorbitantium ſuarum opinionum novitatem tutius populo præpalarent, & ideò ſe Sanctorum Patrum cauſam agere magno clamore divulgant, ſe pro magno Auguſtino indefeſſe belligerare jactant, apud Sedem Apoſtolicam ut ſibi perſuadent etiam triumphaturi. Magni Auguſtini nomen in omnibus ſemper & ubique ipſis familiare eſt ut ſub auctoritate & antiquitate doctrinæ ejus, alterius pſeudo Auguſtini novitatem tegerent. Sanctionum Apoſtolicarum obſervantiores haberi volunt, & interim in Bullas Pontificum adeo devoti ſunt ut eas quæ ſibi directè adverſari vident, negent vel ſi non negent, extenuent, & ita extenuent, ut articulos quoſdam in illis à Pontificibus damnatos veros eſſe in rigore & proprio verborum ſenſu mordicus affirmare audeant. Cum reformationem moralis Theologiæ ab ipſis attentatam tamquam Chriſtianæ antiquitati contrariam, & neſcio cui noviter inventæ novitati obnoxiam à piis fidelibus aſpernari vident, doctrinam ſuam doctrinam primitivæ Eccleſiæ eſſe conſtanter affirmant, ut ſub illius nomine utpotè veræ & genuinæ ac conformis Doctrinæ Chriſti, magis reverenter haberi poſſit. Dum de Sacramento Pœnitentiæ verba faciunt, optant

tant pœnitentiales primitivæ Eccleſiæ Canones priſtino vigori reſtitui, ut vel ſic novam methodum ſuam remittendi & retinendi peccata adeo omnibus exoſam & practice impoſſibilem à rigore illorum Canonum nonnihil mitigatam practicari viderent, adeo ut in omnibus Serpentem vectem Serpentem tortuoſum agant. Quod ſi denique ut paucis plura complectar nomen *Beelſephon*, examinem interpretatum juvenio *devorans aſſenſionem ſpeculi.* An non Novatores noſtri proch dolor, laxis ſuis opinionibus vel ad inferos viam ſternunt vel nimium ſcrupuloſis ſententiis devorant aſcenſionem ſpeculi, id eſt juſtorum & timentium Deum aſcenſum ad Cœlum impediunt, injecta quadam per indiſcretas ſuas novitates animi puſillanimitate. Nunquid aſcenſum juſtorum ad Cœlum impediunt, cum in Monaſteriis & aliis Religioſorum hominum cœtibus frequentem Confeſſionem & Communionem tam Sancte & Religioſe à majoribus inſtitutam eliminare conantur. Cum improbandam dicunt frequentem abſolutionem à peccatis venialabus quæ in Monaſteriis eſt uſitatata. Quodque quidam Chriſtiani hoc tempore non indigeant amplius confeſſione ſicut Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ non confitebantur peccata venialia, & plurima alia ejuſmodi dogmata. Vereor ne ipſos tangant hæc Chriſti fulmina væ, *Vobis Schribæ & Phariſæi hypocritæ, qui clauditis Regnum Cœlorum ante homines vos enim non intratis nec introeuntes ſinitis intrare.* Et ſic ſi per ſingula diſcurrere velim, oſten- *Matth. 27.*

dam profecto Novatores genus quoddam dæmoniorum eſſe. Paulus Actorum 17. Novorum dæmoniorum annuntiator dicitur ſeu ut Lyranus interpretatur *Novarum ſcientiarum prædicator*. Quaſi vero ſcientiæ novæ dæmonia forent; ſed ſi novitates dæmonia cur non novatores dæmones ſunt. Novitates dæmonia eſſe ex eo præterea manifeſtum eſt quod non niſi mendacia ſint à veterano illo mendaciorum patre diabolo ortum hebentia. Diabolus etenim teſte Beato Gregorio: *Intuetur humani generis uniuſcujuſq; mores, cui vitio ſint propinqui, & illa ponit ante faciem adqua facilius novit inclinare mentem.* Et ibi quærit cauſas *nocendi ubi viderit qnemquam diligentius occupari*, & tandem *juventa aptiori occaſione deludit animas.* Occaſio ſpargendi novitates huîc verſipelli non incongrua viſa fuit ad illaqueandas hominum animas nam juxta Poëtam.

Ovid. 3. Pont. 4.

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.

Quod ut melius exequatur qui eſt Princeps tenebrarum ſe transfigurat in Angelum lucis, & quod magis eſt teſte Cypriano aliquando ſe Chriſtum dicit, Chriſtique modnm agendi Simia illa infernalis aliquatenus imitatur; ſic quantum poteſt illud Apocalipſeos uſurpare conatur *ecce nova facio omnia.* Nam quemadmodum Chriſtus hominem interius renovante ſuâ gratiâ indies renovat, ut ambulet in novitate ſpiritus, ſic ille quoad exterius per varias & novellas morum ad-

in

inventiones, & ſcientias, hominem renovare mollitur. Et quemadmodum Chriſtus per Apoſtolum clamat, *Exuite veterem hominem & induite novum qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & veritate*, ſic ille per præcones ſuos Novatores noſtros inceſſanter inculcat ut exuant veterem hominem per tritam à majoribus noſtris viam in ſemitis mandatorum Dei incedentem & induant novum variis & inexſtricabilibus opinionum laberynthis implicatum. Dæmones hominum animis & conſcientiis inſidiari quis dubitat idem Agunt Novatores ideoque non ſecus ac illi conſcientiarum tortores verè dixeris. Quod ut non nihil palam fiat hodiernos Novatores optime quis in duas Claſſes diviſerit. Alii etenim ſua dogmata nimis luxant, & laxant alii nimis arctant, & anguſtant omnes ejuſdem farinæ homines, quia unicus eorum ſcopus eſt novum aliquid aut diſcere aut docere. Hic ſcrupuloſis ſuis opinionibus aſſeclis ſuis conſcientiam ſcrupuloſam ſtabiliunt, eoſque in deſperationem pœnè adigunt. Illi ſuis laxitatibus viam mandatorum Dei enormiter dilatando, ſuis viam latam & ſpatioſam aperiunt quæ ducit ad interitum, nunquid veri conſcientiarum carnifices, qui conſcientiis pacem auferunt & bellum indicunt? Quid laxones noſtri novi morum directores aliud agunt viam ſalutis contra majorum inſtituta laxando, quam conſcientiis bellum indicere & ab eis pacem auferre. Nam dum illas nimium certas de ſalute ſtatuere moliuntur, illas incertas reddunt, & ſic animus in-

ter

ter ſpem mœtumque ſuſpenſus hæret quo ſe vertat neſciunt. *Conſuunt ejuſmodi puluillos ſub omni cubitu manus & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis.* Immutabilia immutabilis Dei præcepta ſecundum mutabilem hujus ſæculi normam torquere ſatagunt, & quandoquidem norint quam ægrè conformentur mores humani, legi Divinæ, ideo tentant legem divinam moribus conformare humanis regulam ſcilicèt ſuo regulabili quaſi lex divina foret regula lesbia quæ propter flexibilitatem abiit in proverbium. De quo Eraſmus in Adagiis, *Lesbia regula dicitur*, inquit, *quoties præpoſtere non factum ad rationem, ſed ratio ad factum accomodatur, & cum lex moribus applicatur, non mores ad legem emendantur.* Tot Theologias formant quot hominum ſtatus obvios habent: aliter cum divite, aliter cum pauperculo, aliter cum nobili, aliter cum ignobili ſibi agendum putant in morum directione, in Sacramentorum adminiſtratione, in ipſa denique myſteriorum Fidei explicatione: quaſi verò non una Fides & lex una foret ubi unus Deus omnium genio ſe accommodant ut illos ſeducant ſimiles Serpenti antiquo qui primos homines perverſa divini mandati interpprætatione ſeduxit, & ad pomi noxialis eſum induxit. Adulatores ſunt novelli noſtri & ideo, ſiquid repræhendunt ita mordent ut tum maxime adulentur. Drexelius in ſuo Ioſepho, *id ſolum*, inquit, *norunt dicere quod gratum, quod placeat quod auditu jucundum laudenſes & placentini quidquid meſtioris eſt auditionis quietiſſimè declinant*

Ezech. 13.

Eraſ. Iliade. 1. Cent.

Drex. cap. 9. oper. tom. 2. p. 516.

nant non eſt ad rem ajunt ita ſeipſos ſuaviſſime fallentes : Et poſt pauca : *Ita conſcientiæ cauterio inuſtæ ſilentium ſpecioſo prætexunt fuco.* E-contrà etiam cum adulantur tunc maximè mordent. Ideò ejuſmodi laxatores Amicis Iob aſſimulat magnus Gregorius. *Ad conſolandum ergo ,* inquit , *Amici Iob veniunt ſed ad increpationis verba dilabuntur :* quia nimirum vitia virtutum ſpecie palliata blanda quidem ſuperficie incohant , ſed aſperá nos contrarietate perturbant , & meritò quidem quia non ad pacandas ſed perturbandas hominum conſcientias inſervit exotica illa dilatatio mandatorum Dei , quæ quamvis propter adjunctam indulgentiam eſt amica naturæ verè tamen eſt inimica ſalutis , utpotè ſub dulcedine mellis continens amaram potionem æternæ damnationis. Altera Novâtorum Claſſis eſt non minùs pernicioſá quam prima ; eorum nempè qui nimium anguſtant conſcientias. Et hi ſunt qui ſub ſpecie quadam alicujus Phariſaicæ Sanctitatis vel minimos hominum defectus ita præponderant immemores fragilitatis humanæ ut nihil ipſis aſſimilari poſſe videatur nequidem Sanguis Iesu-Christi qui juxta Apoſtolum *emundat nos ab omni peccato:* Sed quid hoc inquies quis Sanguinem Iesu-Christi inſufficientem dicere audeat ad abolendas omnium peccatorum maculas ? Hoc illi Novatores non verbis dumtaxat ſed reipſa oſtendunt , qui prætium illius pœnitentibus ſuis dilata Sacramentali abſolutione denegant ſub blando quodam prætextu inſufficientis diſpoſitionis vel

majoris acquirendæ devotionis, quaſi-verò medicina illa ſpiritualis, ægrotis non foret adhibenda ſed ſanis: Quod quemadmodum non ædiametro repugnet CHRISTI dicto, Matth. 9. *Non eſt opus valentibus medico ſed malè habentibus*, viderint ipſi: Non quod verè indiſpoſitis adminiſtrari Sacramenta velim non, ſed quia indiſpoſitionem illam ita dilatent Novatores ut ſecundum illos nulla aut rara ſaltem ſufficiens diſpoſitio inter homines inveniri queat. Quis enim mortalium liber & ſecurus à reincidentia in idem peccatum? quis certus quod cum Petro poſt trinam negationem Domini ſui quarto illum non negabit? quis cum Magdalena poſt remiſſa peccata non amplius carne & ſanguine ſe contaminandum aſſerrere audeat. Quis cum Matthæo Telonium ita deſerit ut nulla eum poſt hac illius memoria occurrat vel deſiderium angat? nemo nullus. Quid ergo illos qui talia agunt ſine abſolutione dimittitis? Quid ab illis ante reconciliationis Sacramentum requiritis quod moraliter impoſſibile ipſi judicatis? Matth. 18. *Alligatis onera gravia & importabilia, & imponitis in humeros hominum, digito autem veſtro, nolitis ea movere.* Quam benè in Novatores quadrat illud Apoſtolicum *ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Quis enim illos ad ſcientiam veritatis perveniſſe dixerit qui veram pietatem circa Deiparæ Virginis cultum radicitus evellere conatur, Palud. in Apol. Mar. *Quaſi cum Chriſti injuria ſolam Sanctorum virtutem intueamur qui ſoli Deo primas ubiq; largimur ſuo deinde loco* MARIAM, *& agnoſcentes & ve-*

venerantes per quam Divina Bonitas ſua dona mortalibus diſpenſat. Quis non illos maxima ignorantia laborare dixerit, qui nullam ignorantiam legis naturæ, etſi invincibilem excuſare agentem contra legem contendunt. Profectò ſcienter illi contra Theologiam peccant, qui nos contra Deum ex ignorantia invincibili peccare volunt ! Proch dolor quam abominandum dogma ? Quæ non mala invehit idiſpum in Rempublicam Chriſtianum?Sufficit mihi hujus dogmatis demonſtraſſe ſcopum nempè confeſſionem carnificinam conſcientiarum ac denique deſperationem. Quidquid dicunt quidquid ſcribunt Novatores melle charitatis temperatum eſt adeò, ut charitatem ita commendatam velint, ut omnem actum humanum qui non exercetur ex charitate perfecta ſeu juſtificante peccatum eſſe affirment. Optimè olim Novatores fixtos & Pyrrhones vocavit Gregorius Nazianſenus. Quemadmodum enim Pythoniſſa Samuelem ab inferis revocavit, ſic Novatores noſtri Bajanos, Lutheros, Calvinos, Vergerios, Iánſenios à mortuis revocant, dum ex eorum lacunis & ſentinis pernicioſa ſua dogmata repetunt. At inquies quis fructus horum Novitatum & Novatorum,ex fructibus enim eorum cognoſceris eos *inquit* æterna veritas de iis qui veniunt ſub pelle ovina intrinſecus autem ſunt lupi rapaces ? Vis dicam fructus eorum ? Hi ſunt ! Sacramentorum uſum abrogare, cultum Sanctorum ab Eccleſia oblegare, in Conventibus & Monaſteriis contentiones & diſcordias fovere,

Oves ſuis Paſtoribus & Paſtores ſuis Ovibus orbare, timidos & puſillanimes ad deſperationem adigere, peccatoribus & pœnitentibus converſionem, juſtis perſeverantiam impedire, rerum omnium ordinem invertere confuſionem parere, uno verbo Hieruſalem in Babilonem convertere & mundum hunc in infernum tranſmutare, ubi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat. Vtinam ejuſmodi recordarentur Apoſtoli dicentis Deum dediſſe Apoſtolos, Paſtores & Do-
Epheſ. 4. ctores *ad conſummationem Sanctorum in ædificationem corporis ſui*, quod eſt Eccleſia ad quam conſummationem Sanctorum ægrè quis perveniet, niſi per frequentem Sacramentorum uſum. Hæc ſiquidem ſunt veluti vaſa quædam ſacra quæ ut declarat Concilium
Seſſ. 1. Tridentinum Divinum gratiæ ſanantis &
Can. 6. ſanctificantis liquorem in ſe continent, & ex ſe diffundunt. Hi ſunt fontes illi Salvatoris ex quibus haurire poſſumus in gaudio aquam vivam quæ fiat in nobis fons aquæ ſalientis invitam æternam ſive conſummatio-
Iſai. 12. nem Sanctorum. Non in ædificationem Cor-
Ioan. 4. poris Christi quod eſt Eccleſia, ſed in deſtructionem illius cedunt novitia illa dogmata, quæ maximas quotidie pariunt Chriſtianæ plebis offenſiones, quæ unitatem Catholicam tam miſere dividunt & politicam animorum concordiam aliquando etiam divident, niſi Novatorum impudentia mature refrenetur. Vnum porro ſufficere oporteret ad labefactandam reformationem ab ipſis attentatam, quod illam tam importuno tempore

&

149

& inuſitato modo ſtabilire voluerint. Hoc nempè tempore miſerimo & calamitoſo quo per Belgium noſtrum deliteſcens ſub clypeo furientis bellonæ Lutheri & Calvini hæreſis paſſim debacchatur. Tam inuſitato modo inquam, quia novitates ſuas ſuo quodam privilegio ne dicam ſacrilegio etiam renitentibus piis, & orhodoxis Chriſti fidelibus perfas & nefas inſtillare attentaverint. Hæc eſt indoles & natura Novitatum & Novatorum! vos itaque obteſtor venerandæ antiquitatis Amatores ut ſacratæ vetuſtatis dogmata colere velitis & prophanæ novitatis adinventa damnare. *Nihil ultra*, inquit Papa Xyſtus, *liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati perſpicua majorem Fides, & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Et vos novitatum Studioſi vos inquam obſecro in viſceribus Domini noſtri Jesu-Christi, ut excuſsâ *in altum elata mentis vela deponatis*, verba ſunt S. Vincentii Lyrinenſis, *quæ male novitatum ventis expandiſtis, voſq; intra fidiſſimam ſtationem veneranda antiquitatis reducatis ac teneatis, amaros illos turbulentoſque novitatis fluctus primitus revomatis ut poſſitis deinceps viva & ſalientis aqua fluenta potare. Dediſcite benè, quod didiciſtis non benè, ut .... ſi quando adhoc pars contra Vniverſitatem novitas contra vetuſtatem unius vel paucorum errantium diſſentio contra omnium vel certè multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellaverit, præferatis partis corruptioni, univerſitatis integritatem ... & novitatis prophanitati Antiquitatis Religionem.*

Xyſtus in Epiſt. ad Epiſc. Antioch.

S. Vinc. Lyr.

F I N I S.

Digitized by Google

CENSVRA.

Imprimi poterit. Coloniæ 1. Octobris 1677.

A. I. D. R.

S. Th. Doctor, & Lib. Cenſ.

Digitized by Google